

DISSE<sup>T</sup>RAT<sup>I</sup>O ACADEMICA

17

DE

*PARODIA,*

CUJUS

PARTEM POSTERIOREM,

*Venia Ampl. Facult. Philos. Aboëns.*

P R A E S I D E

*JOH. FREDR. WALLENIO,*

*Eloqu. Prof. Reg. & Ord. Regg. Societt. Patriot.  
Holm. Oecon. Fenn. & Oecon. Wermel. Membro,*

*Ventilandum sifit*

*JOHANNES ANTONIUS APPELBERG,*

*Stip. Bilmark.  
Satacundensis.*

In Aud. Physico die XVI Mart. MDCCCVIII.

H. a. m. c.

---

*ABOÆ, Typis FRENCKELLIANIS.*

ENKE - FRU  
MARIA BEATA APPELBERG.

---

Ålskade Mor!

Dig, som uti öden, skiftvis blida,  
mulna, ospard ömhet för mig bar,  
och då delarn rycktes från din sida,  
dubbelt ospard — om det möjligt var —  
Dig jag helgar denna blygsamt fällda,  
anspråkslösa skärf. . . Aek! stum, och svag  
att din möda och din godhet gälda,  
gråter tacksamheten — gråter jag.

Målet för min syftning icke är  
tomheten af lyckans morgondinima —  
O! i livets korta pröfningstimma,  
vare blott min åträ, mitt begär,  
att, med dina ljusa efterdömen  
i en följande förtrolighet,  
se den tröstligt aningsfulla drömmen,  
om en högre jordisk salighet,  
uti fylda pligters minnen fyllas; —  
se — som Du — i något omärkt tjäll,  
dunklet af min vandels skumma qväll,  
utaf dygders återsken förgyllas!

JOH. ANT. APPELBERG.



*Ridiculum acri  
Fortius et melius magnas plerumque secat res.*

HORATIUS.

**H**is jam auctoribus, ARCHILOCHO, HIPPONACTE & HEGEMONE, aut orta aut saltem provecta longius Parodia multos cito allexit sui imitatores, quorum alii moderatius & parcus, effusius & per tota carmini alii, personato indulserunt artificio. Ab illorum, saepe nil nisi nudam accommodationem quarentium, tentaminibus omnis abesse potuit aculeus omneque depravandi, ridendi, jocandi studium; ab horum raro, si umquam, abfuerunt. Sic aliud PLATONIS, poëmata sua, postquam ad SOCRATIS disciplinam se contulisset, comburentis, & versum Iliados (XVIII. 392)

Ἡφαίστε πρόμολ' ὥδε, Θέτις νύ τι σεῖο χατίζει  
hoc modo inflectentis

Ἡφαίστε πρόμολ' ὥδε, Πλάτων νύ τι σεῖο χατίζει (a),  
A aliud

---

a) DIOG. LAERT. L. III. n. 5.

aliud MATRONIS, Atticam cœnam parodia Home-  
rica 122 versuum describentis (b), fuisse censebitur  
consilium. Sed in utroque genere a multis lusum,  
hique partim ab ATHENÆO (c), partim a FABRI-  
CIO (d) enumerati: quos inter EPICHARMUS, HER-  
MIPPUS, CRATINUS, SOPATER, Hegemoniis insisten-  
tes vestigiis, ad Dramaticæ & nominatim Comicæ  
rationis usum, rem accommodarunt. Neque enim  
focco indignam eam judicavit eodem fere tempore  
ARISTOPHANES, ex HOMERI, PINDARI, ÆSCHYLI,  
EURIPIDIS aliorumque dictis multa in parodiæ habi-  
tum transformans; sed magis mireris RHINTHONEM  
Syracusium (quem, pariter atque principem illum  
Comœdiæ veteris, & Naucratites & Hamburgensis  
in Parodorum Græcorum recensu (e) silent), eumque  
Tragicum, sed novo & portentoſo hilarotragædiarum  
genere

b) Apud ATHENÆUM L. IV. c. 5. ex quo tamen nihil de  
Parodi ætate, quam neque FABRICIUS, Biblioth. Græc.  
Harlej. Vol. I. p. 516, 550, determinavit, colligere  
datur. Videtur autem is, cum v. 2. XENOCLEM rhetorem,  
tamquam cœnæ datorem commemoret, CICERONI fuisse  
æqualis. Cfr. Brut. c. 91. l. 316.

c) L. XV. c. 16.

d) Vol. I. p. 550. sq.

e) Breviores plurimas apud ATHENÆUM & DIOGENEM' LAËR-  
TIUM passim obvias consulto præteriit FABRICIUS. In his  
auctorum saltem nomine memorabiles sunt ARISTIPPI in  
DIONYSIUM, LAËRT., L. II. c. 8. n. 2, & ARISTOTELIS in

genere uti ausum, etiam cothurno aptasse parodicas artis licentiam, alienaque dramata petulanti joco in ridiculum detorsisse.

Latinas inter veteris ævi parodias celeberrima fere atque notissima est VIRGILII illa ad quartum CATULLI de phaselo poëmatium, a multis dein, & in his a SCALIGERO patre simili ratione tentatum, ut sic eandem expertum fuerit fortunam, quam tertia quarti libri ode Horatiana, quinquaginta & amplius, sed serius, passa parodicas imitationes. Ad antiquitatem vero pertinent, præter supra allatos HADRIANI Imperatoris versus, Anonymorum in nobile Virgilianarum eclogarum par atque in versum Georgicorum I. 299. infusæ parodiæ (f), itemque in ejusdem libri 210:mum versum BAVII & MÆVII, si apud SERVIVM fides erit, junctis nixibus effictum monostichon; & tandem MARTIALIS de catella Publī ad Catullianorum de Lesbiæ passere carminum (g) similitudinem compositum epigramma (h).

A 2

Est

XENOCRATEM L. V. c. 1. n. 3. vel ISOCRATEM potius,  
CICER. de Orat. L. III. c. 35. s. 141. & QUINTILIAN. L.  
III. c. 1 s. 14.

f) DONATUS in vita VIRGILII c. 16. s. 61.

g) Poëm. 2 & 3.

h) Epigr. L. I. ep. 110. Addi, inter minora multa, his pos-  
sunt Ciceroniana Pindarici dicti ad rem aliam accommo-

Est vero recentiorum temporum largior multo messis, & si congerere omnia, etiam minutissima, volueris, prope infinita; quare nec nisi productiora enumeranda sibi rati fuerunt FABRICIUS, BLANKENBURG (i), ESCHENBURG (k), alii. Nos horum copia ne immoderatius usi videamur, ea potissimum feligemus exempla, quibus in nobiliora veterum scripta aut lusum fuit, aut certe alienum, quamvis ferium, ingerendo sensum, immigratum; additis, quae & aliunde conquirere nobis licuit, admodum paucis.

Iliada HOMERI aut totam' aut per partes parodica arte expresserunt JOSUA BARNES, Anglus, in Susiade s. Estheræ reginæ historia, Lond. 1679, græce, linguis autem sibi quisque vernaculis FRANC. LOREDANO in l'Iliade giocosa Venet. 1653, PETR. CARLET. MARIVAUX in l'Homere travesti, ou l'Iliade en vers burlesques, Paris. 1716 (ex Lamottiana quidem metaphrasi), NICOL. CAPASSI in Poesie varie, Neap. 1761, dialecto Neapolitana, CAUSTIC BAREBONES, pseudo-

datio, Epist. ad Att. L. XIII, ep. 38, ejusdemque TULLI in ANTIGENIDÆ effatum parodicus lusus, Brut, c. 50. f. 187.

- i) Literarische Zufäzte zu J. G. SULZERS allgemeiner Theorie der schönen Künste, vocc. *Æneis, Erzählung, Helden gedicht, Ilias, Operetten, Parodie, Scherhaft.*
- k) Entwurf einer Theorie und Literatur der schönen Redekünste p. 144.

pseudonymos (vero nomine G. BRIDGES) in Homers Iliad adapted to the capacity of honest english roast-beef- and pudding-eaters, 1762-1764, atque Anonymi, Anglus, Homere à la mode, a Mock - poem, Oxon. 1665, Gallus anni, ut videtur, 1715, ac Germanus, primæ rhapsodiæ parodus, Lips. 1787.

In ANACREONTEM parodiis lusit græce JOH. BALTHAS. BERNHOLDUS, Professor Altorfinus in Ἀνακρεοντείοις μέλεσι a MUNZIO Noribergæ s. a. editis.

VIRGILII Æneida ludicra imitatione vexarunt JOH. BAPT. LALLI in l'Eneide travestita Rom. 1615, DES VALLES DE MOUNTECH in Virgilio deguisato o l'Eneido burlesco en langue Guasconne, Tolet. 1648, PAULL. SCARRON in Virgile travesti, Paris. 1648-1652, cuius operis, non nisi primos septem libros & initium 8:vi complectentis, ineptam & frigidam continuacionem dederunt JAC. MOREAU DE BRASEY & TELLIER D'ORVILLE Amstelod. 1716 & Paris. 1767, W. G. VAN FOEQUENBROCH in Thalia Amstel. 1679, quæ est in 1:mum atque 2:dum librum Æneidos itemque in Bucolica, particulatim item JOH. BENJ. MICHAËLIS († 1772) in Operibus germanice scriptis, ALOYS. BLUMAUER in Abentheuer des frommen Æneas oder Virgils Æneis travestirt, Vienn. 1784 - 1788, JOH. STENHAMMAR, nostras, Pyrrhi infall i Priami slott och Æneæ uttåg ur Troja, efter Virgilius och Blumauer, in Extra Posten 1794 N:o 157, & postea in Ejus

Ejus Poetica Skrifter Holm. 1807 p. 140 sqq. tandemque Anonymi duo Angli, alter in Libris duobus primoribus Æneidos, carmine anglico ludicro, Lond. 1664, alter in Story of Æneas and Dido burlesqued, Carolopoli Carolinæ australis, (Charlestown) 1775.

Parodias HORATIANAS aliquorum enumerat in Bibliotheca Latina FABRICIUS (l), sed ita ut adjiciendis epimetris non præcludat locum. Certe in Epistolam ad Pisones duas rescivimus parodias, unam The art of cookery, in imitation of Horace's Art of poetry, by the author of the Journey to London, saeculo proxime præterlapso ineunte typis vulgatam, alteram die Dichtkunst des Horaz, neu übersetzt, vermehrt, verbessert und ans Licht gestellt von einem Jünger des Handwerks, Schweinfurt. & Lips. 1802, quarum hæc, servatis quidem maximam partem rebus, singula poëtæ etiam sine joco dicta in ironiam & scurrilem dicacitatem deflexit.

In OVIDII Metamorphoses parodias scripserunt L. RICHER in Ovide bouffon Paris. 1649, CAROL. COYPEAU d'Assoucy (m) in Ovide en belle humeur ibid.

l) Editionis Ernestianæ T. I. p. 418, 423.

m) *Le plus mauvais plaisir eut ses approbateurs,  
Et, jusqu'à Dasloucy, tout trouva des lecteurs.*

BOILEAU, Art Poétique Ch. 1:r v. 89. sq.

ibid. 1650, isque etiam alia in CLAUDIANI raptum Proserpinæ parodia (ibid. 1664) notus, quorum tamen neuter totum opus explevit, multoque minus inficetus primi tantum libri parodus anonymos in verwandelte Ovidische Verwandlungen Stuttgart. 1790. Aliæ sunt Parodiæ CAR. WILH. FREDR. SCHABERI: Ovids Werke von der Liebe, nach Blumauer travestirt, Berol. & Lips. 1794.

In Pharsaliæ LUCANI Librum primum parodia extat Gallice scripta ejusdem GUILIELMI DE BREBEUF, Paris. 1658, qui undecim annis ante totius carminis interpretem non satis feliciter egerat.

In hac jam perquam numerosa recentiorum Parodiarum cohorte, si Susiadem & unam præterea aut duas exceperis, nullam reperies, cuius ludicrum non fuerit consilium, paucasque, quarum non tale, ut ad verborum Parodias (n), quas Galli *Travestissemens* appellant, & debeat & possint commode referri. Antiquioribus frequentiores erant rerum & saepe seriæ Parodiæ, ad imitandam nempe & variandam rebusqne pluribus accommodandam egregiorum scriptorum dictionem magis quam ad risum captandum compositæ: sed invalescere postea cœpit, & in Gallia in primis SCARRONII ac SARRASINII exemplo

n) Vid. partem Dissertationis hujusce priorem p. 13. sq.

exemplo, incredibilis ludendi, ridendi ac scurriliter jocandi libido, sacra & profana æque lacefens, & effusæ hilaritatis lascivia severiorumque studiorum tædio tantum creans saniori gustui periculum, ut petulanti isti cachinnorum aucupio suum, anno 1658, de ludicra dictione librum opponere necessum judicaret VAVASSOR. Non videtur is, quamvis latine scriptus, sed cordatiorum sine dubio omnium opera adjutus, caruisse successu, præfertim cum sedecim annis post lætetur BOILEAU (o), versus annum 1660, aula saltem pulsam fuisse perversam illam facetiarum consecrationem. Ut vero solent hominum cupiditates non simul recedere, sed aliæ aliis cedere: sic aliorum potius versus quam sublatus penitus fuit

o) Art poétique, Chant 1:r v. 91-94 & not. ad v. 81. Antea vero la plupart ne pensoient-ils pas, que pour écrire raisonnablement en ce genre, il suffisoit de dire des choses contre le bon-sens & la raison? Chacun s'en croyoit capable en l'un & en l'autre sexe, depuis les dames & les seigneurs de la cour, jusqu'au femmes de chambre & aux valets. Cette fureur de burlesque, dont à la fin nous commengons a guerir, etoit venue si avant, que les libraires ne vouloient rien qui ne porta ce nom; que par ignorance, ou pour mieux debiter leur marchandise, ils le donnoient aux choses les plus serieuses du monde, pourvû seulement, qu'elles fussent en petits vers; d'où vient, qu'en la guerre de Paris en 1649 on imprima une pièce assez mauvaise, mais serieuse pourtant, avec ce titre, qui fit justement borreur à tous ceux qui n'en

fuit molestus ille vel optima scripta joculari imitatione temerandi pruritus. Mox enim, inaudito in ipsa ludici stili (*de burlesque*) patria, Italia, exemplo, Dramata invasit, omniumque primo in sublimem RACINII Tragœdiam, *Andromachen* involavit, quam anno 1667 scenæ datam hoc ipso anno ridicularia parodia: *la folle querelle*, procaciter incessebat. Eandem brevi latius serpentem ingeniorum libidinem, & præclarissima quæque Melpomenes ac Thaliæ opera licenter contaminantem, in Gallia haud parum aluerunt æmularum domesticæ & Italicæ scenæ rivalitas, illiusque cum fori & triviorum ludo (*Théâtre de la foire, des vaudevilles*) simultates.

Quam autem habeat mala hæc scabies contagionem, in patria etiam nostra fuit non longe abhinc perspectum. Vix enim Svecanum theatrum non dicam instauraverat sed creaverat immortalis memoriae Rex GUSTAVUS III, quum in novas augustissimis auspiciis productas fabulas *Acis och Galatea* (1773), *Birger Järl och Mechtild* (1774), *Thetis och Pelée* (1775), prodierunt parodiæ HALLMANNI *Casper och Dorothea* (1775), *Skeppar Rolf och Gunild* (1778), Pe

B

ti-

s

*Ilurent pas davantage: La Passion de nôtre Seigneur en vers burlesques.* PELISSON, Relation contenant l'histoire de l'Acad. Frangoise, Paris 1671. p. 72. Quam diu au lam ipfosque reges, LUDOVICUM XIII & XIV, oblectave rit insignis scurra d'ASSOUCY, Dictionarium docet BAYLIE,

*tis och Telée* (1779), non illæ quidem suo carentes sa-  
le & acumine, sed plebejo & dissoluto, atque ad in-  
fimæ vitæ rationem & ipsos fabularum heroës &  
fusa ab illis dicta deprimentes. Accessit his anno 1800  
*Iphigenie den andra, eller de gamla Grekiska Historier-*  
*na, Parodie af Iphigenie uti Tauriden* (1783); cuius  
parodiæ auctor servato quidem arguento & perso-  
nis principalibus tales his affinxit sermones, qui de-  
corum omne poëticum vel ab ipso Thoante remove-  
ant. Ad risum igitur hæc omnia valent, pariterque,  
sed in alio genere, ingeniosa forte & nimis nota, at  
in venustissimam Ill. CREUTZI elegiam (p) non  
minus injuriose & putide ludens parodia (q), quam  
in sublimem, qua Höpkeniana infunus TESSINI ora-  
tio clauditur, comparationem affabre sed improbe ef-  
fectus soluto sermone jocus (r).

Hæc referentes ancipitis artificii exempla, indi-  
gnamus merito, ægreque ferimus gravibus & summa  
dignitate decoris vultibus tot alienas & intempestivo  
risu hiantes injectas fuisse personas. In Ridiculo qui-  
dem, tamquam in lydio lapide, certissimum esse veri-  
tatis

p) *Vid midnattstid uti en skog* &c. Vitterhets arbeten af  
CREUTZ och GYLLENBOORG, Stockh. 1793. p. 58. sqq.

q) *Nya Småsaker till nöje och tidsfördrift*, 1<sup>o</sup> Del. Stockh.  
1768 p. 19 sqq.

r) *Bacchi Handbibliotheque*, 2<sup>o</sup> Del. Stockh. 1784. p. 19.

tatis cuiusvis experimentum atque obrussam, nota est  
 Illustris Angli A SHAFTESBURY sententia, eaque ut  
 a LEIBNITIO, BROWNIO, BLAIRIO, FLÓGELIO cæt.  
 sagaciter impugnata, ita ab ADELUNGIO & HOMIO  
 non minori acumine defensa: nec decet profecto  
 diffiteri, cum parum aut nihil esse veritati sive op-  
 nionum sive meritorum & laudum a futilibus cavil-  
 lationum risibus metuendum, tum ab auctoris recte  
 intellecti mente absuisse omnino & fraudis & proter-  
 vitatis propositum. Aperte enim docet ab augusta  
 veritatis gravitate & majestate inertia resilire risus  
 vel falsissimi tela; reapse ridiculum esse nihil, nisi  
 quod deforme fuerit; nec esse in rebus sanctis, veren-  
 dis & cum pace ac tranquillitate publica copulatis  
 palam saltem & imprudenter jocandum (s). Si etiam  
 sanis, quod vulgo dicitur, omnia fuerint sana, nimium

s) You are to remember, my friend, that I am writing  
 to you in defence only of the liberty of the club, and of  
 that sort of freedom, which is taken amongst gentlemen  
 and friends, who know one another perfectly well. —

— It is surely a violation of the freedom of public  
 assemblies, for any one to take the chair, who is neither  
 called nor invited to it. To start questions or manage  
 debates, which offend the public ear, is to be wanting in  
 that respect, which is due to common society. Such ob-  
 jects should either not be treated at all in public, or in  
 such a manner as to occasion no scandal, or disturbance.  
 — — — The lovers of mankind respect and honor con-

tamen *rīsus pretium est, si probitatis impendio constat* (v): ut taceam & levis & seditionis esse hominis aut cœlum ipsum petere stultitia, aut reverentiam legibus debitam infringere, aut propriam nondum dimissam deridere persuationem. Alia vero est quæstio, an prudentis sit risu in omni disputatione uti; alia, an ea inter sit inter veritatem & falsitatem differentia, ut hæc

*ventions and societies of men &c.* SHAFTESBURY *Sensus communis: an essay on the freedom of wit and humor,* Part I. Sect. 5. in Ejusd. *Characteristics of men, manners, opinions, times, with a collection of letters,* Vol. I. (Edit. Basil. 1790) p. 62 sq. *Nothing is ridiculous, except what is deformed: nor is any thing proof against raillery, except what is handsome and just.* Ibid. Part. IV. Sect. 1. p. 110. Cfr. Ejusd. Letter concerning enthusiasm, Sect. 2. Ibid. p. 7 sqq. & hæc in primis prioris dissertationis verba: *Truth may bear all lights: and one of those principal lights or natural mediums, by which things are to be viewed in order to a thorough recognition is Ridicule itself, or that manner of proof by which we discern whatever is liable to just raillery in any subject* (Part. I. Sect. 1. p. 50), quæ simul docent auctorem nec soli risui attribuisse jus veritatum instituendi doxmaslav, nec aliud fere efficere voluisse, quam dispiciendum in rebus singulis esse, utrum habeant an non habeant, quod rideri jure possit. Id saltem concedi oportet, nullius rei verum esse pretium, quæ risus impetum non sustineat & vincat. Cfr. item Den nya lagstiftningen i Sjülets verld, något litet i fråga fatt, Stockh. 1792 p. 9 sq.

¶ QUINTILIAN. L. VI. c. 3 f. 35.

Hæc risu excussa corruat, illa immota omnes frivolorum incursum conatus facile vineat, anque igitur pensari ambæ eadem trutina possint. Spectat illa praxin, hæc fere theoriam. Hanc, licet, concedas: si justas haud neglexeris cautiones, nihil periclitabuntur virtus atque veritas.

Patet ex jam dictis, noceri quidem veræ magnitudini & pulcritudini a malevola aut levicula cavillatorum dicacitate haud posse, sed cavendum tamen esse risus abusum, utpote nec honestum nec incommodis liberum. Utrumque perspici etiam in parodiarum jam commemoratarum plerisque facile potest. Non fuerunt istæ, puto, inimico consilio scriptæ; nil derogarunt, ipsæ quidem brevis ut plurimum vitæ, immortali immortalium operum honori; reliquorum fatavix accelerarunt: sed turbarunt plus semel imperitorum judicia (u), turparunt res serias indecentis & publici joci pravitate, exhibueruntque etiam idoneis rerum æstimatoribus id saltem molestiæ, ut subito vel invitis inter legendum recurrente scurrilium imitationum memoria, non potuerint intemerata frui ex egregie dictis voluptate, & sic hoc etiam nomine ingratæ illum perdiderunt commendationem, quam ex artifice

---

u) *The rabble of mankind is very apt to think, that every thing, which is laughed at with any mixture of wit, is ridiculous in it self.* The Spectator N:o 291.

ciose expressa propositi exemplaris similitudine comparare sibi potuissent. — At quid est, quæso, quod nulli fuerit unquam abusui obnoxium? Neque tamen licet propter abutendi licentiam probum & moderatum usum damnare.

Est igitur alia prorsus ratio Parodiæ insulsa & inepta scripta, inanem jactantiam, errores populares, contagiosos, fanaticos, superstitiones vanas, & quasvis fere in primis scribentium pravitates ac deformitates insectantis & exagitantis. Cum enim, qui in Parodia maxime dominatur, risus *vim habeat imperiosissimam* & cui repugnari minime potest (x); cum in communi vita nihil fere magis metuant illæsæ famæ homines quam rideri; cum salutaris iste metus a non una absterreat perversitate; cum idem metus propriæque imbecillitatis pudor cæcos præstigiatorum & agyrtarum acri risu vulneratorum assecias haud parum conturbet atque disjiciat; cumque CICERONE (y) monente, facillime corrigantur in discendo, quorum vitia imitantur, emendandi causa, magistri: non est cur dubitemus, insignem esse posse in morum sordibus eluendis, in opinionum stultitia profliganda, in castiga-

x) QUINTILIAN. L. VI. c. 3 f. 8. Hinc neque immerito satiram clarus Anglorum scriptor YOUNG alicubi appellat ipsarum *legum supplementum*.

y) De Officiis L. I. c. 41 f. 146.

ganda ostentatione & insolentia, aliisque ejusmodi  
monstris debellandis, risus efficaciam.

Haud ignoramus, fuisse multos huic communis  
fatis sententiæ oblocutos, risuque, & proinde parodiæ,  
nullas in erroribus refellendis & ineptiis arguendis  
tributas voluisse partes. Non illos jam moramur,  
qui propria luxerunt, nec immerita, vulnera (z).  
Majori, ut fide, ita honore, digni sunt n̄i, qui & ipli  
reprehensione vacui, & rem sine privatæ utilitatis  
studio agentes, videntur, ne plus noceat quam profit  
in hoc negotio risus, metuere. Eminent in hisce in-  
genuus ille & subtilis atque amabilis MENDELSSOHN  
(a). Non risum, non metum, sed saniores doctrinæ,  
fidelem institutionem, nitidamque puræ veritatis  
imaginem opposita is voluit superstitioni & fanati-  
cis erroribus: ludibriis exasperari tantum animos,  
pudore suffundi quidem, arridere forsan ridentibus,  
personam induere rationis, sed celare ingenii perversitatem,  
sed plaudere sibi domi, sed alios, ut cooperant,  
in devia abducere, nec meliora, ut oportuisset, edoceri.  
Sit ita sane: nam radicitus tolli quam lenioribus  
sed non sufficientibus remediis (palliativa appellant  
vulgo)

z) Sic THORILD in Critik öfver Critiker, 2 Del. p. m. 8 sqq.

a) Soll' man der einreissenden Schwärmerey durch Satyre  
oder durch äußerliche Verbindung entgegenarbeiten? in  
Berlinische Monatschrift Februar 1785 p. 133.

vulgo) tractari morbos, quis non mavult? Si vero contra negantem primas etiam veritates disputari omnino nequit; si insanabilis antesignanorum pravitati suæ relinquendorum error omnem respuit medicinam; si irrisio contemtus est mater; si ab hoc vix uno aut duobus passibus distat  $\delta\pi\alpha\theta\delta\alpha$ , inprimis eum a cæco assensu ad cæcam fidei detractionem haud longa sit migratio; si alios, quo vertere se conveniat, adhuc dubios, tempestive retrahere licet; si vix graviore lapsu, quam gregalium & satellitum penuria, ruunt popularis ad se pertrahere omnia cupientis amentiæ monstra: quid est quod dubitemus præsente uti & valido, quamvis non semper efficace, magnarum ægritudinum remedio? Sanabit non omnes quidem, sed multos; ad compescendam saltem impudentiam valebit; ad veritatem audiendam præparabit utcumque: præsertim si, ut solebat, nec infelice successu, eximius sanæ rationis vindex KELLGREN (b), vellicantis risus acrimoniam mitior sed mascula veritas temperaverit. Hanc solam, utpote frigidorem nec tot lectores allieientem, parum damni sibi allaturam credunt vafri isti & sophistica arte ludentes errorum architecti;

nihil

b) Exempli loco sit acerrimum simulque seria philosophia gravissimum poëma: Man äger ej inille för det man är galen, cum adjunctis notis, in Ejus Samlade Skrifter, Andra Bandet p. 79 — 124, novemque annis ante in Stockholms Posten 1787 N:ris 232 — 233. Hoc suo tempore quid effecerit, nondum elapsum est memoria.

nihil tam metuunt quam risus infamiam. Hac igitur præfractam ipsorum obstinationem adspergi, leviculam reliquorum, nec voluntariam, mentis alienationem blanda veritatis luce collustrari, quid vetat? Quid, si veritatem jam frustra audierint? Quid, si ei insultaverint? Non decet nostrates saltem oblivisci, quam felicibus fuerit auspiciis, non longe abhinc, e scena (c) in gliscentem fanaticam sectam pugnatum.

Sed redeundum est ad Parodias, fideles hujus medicinæ ministras, quæ tamen in litteris consignatarum ineptiarum vitiis castigandis proprium habent, eumque satis late patentem, campum. Qui in summa aut opinionum aut dictionis insolitatem arroganter se gerunt, qui ampullarum nugas magno hiatu venditant, qui sanæ rationi, incorruptæ naturæ sensui (gustum hodie appellant), virisque de utriusque honore optime meritis indicunt bellum, poterunt omnino hoc artificio nec injuste nec incommodè ludi & exagitari. Sic, ante viginti & quod excurrit annos, magno, ut & ipse haberi gestiebat & ab adstupente clientum atque admiratorum turba suspiciebatur, Svecanæ Poëfeos reformatori, pravisque ab illo propositis nec imitatione parentibus exemplis, duæ oppositæ fuerunt parodiæ: una tectior &, præter formam, parum

C commune

c) Den nya Seften, Moralistk Lustspel i en Aft (autore ENVALLSSON), Stockh. 1782. Cfr, Stockholms Posten 1782 N:o 59.

commune cum prototypo habens, sed satyrici salis plena (d), altera manifestæ reprobationis vacua, sed cum forma etiam totum valde frigidum ipsius characteris tumorem fideliter exprimens (e). Fuere tamen, qui utramque, & omnem omnino aciorem parodiam damnarent. At quidni damnarunt iidem præstantissimum Comoediæ genus, Characteristicum s. Ethographicum, quod in morum & ingeniorum insulsitatem non arguendo, sed imitando & ad majorem etiam risum augendo, animadvertisit? Quidni in severissima disciplina, Matheſi, demonstrationem, ut appellari solet, indirectam, quæ ex absurdis paullisper concessis magis etiam absurdâ elicendo, veritatem probat?

d) Nytt försök till orimmad vers, Stockh. Posten 1783, № 241, & in KELLEGRENS Samlade Skrifter, Andra Bandet p. 125 sqq.

e) Det oförtänkta mötet eller de Muſulmanniske Pelegri- merne, Stockh. 1786. Act. 3 Sc. 9. Cfr. Iphigenie den andra, A&t. 1 Sc. 1. — Tertiam, in proſaicam ejusdem multa promittentis auctoris oden, Inbillningens nöjen, Stockh. 1784, ſcriptam parodiam, Parodie öfver Inbillningens nöjen, eller Inbillningens qual, Götheb. 1786, utpote nullius vel acuminis, vel riſum ciendi facultatis vel utilis nobiliorisque ſcopi, ſcientes omittimus. Admodum vero ingeniosa est & vis comicæ abundantissima, in alſud proſaicæ poēſeos lumen ſcilicet (auctorem nempe libelli: Kärleks- och Religions-Sånger, Stockh. 1794) Egenkärleks- och Confusions-Sång, nytt profflycke af den ſlags poëſien ſom ſkrifves längre än den läſes, in Extra Posten 1795 №:o 9:

probat? Elencticisne sermonibus an risu plus potabimus ineptiarum & nequitiarum e vita ejectum? Vapulet quicunque primus dederit offensam: aut verbis vapulet aut riso; hic autem cum longe venustior in respondendo sit quam provocando(f), ad partes suas risores facile pertrahit, simulque temperare sibi vix potest, quin, ut spectatum admissos fortius feriat, aliquanto majorem inducat pravitatem, capita saltet rei, si opus fuerit, facile probaturus (g).

Non

f) QUINTILIAN. L. VI. C. 3 f. 15.

g) *Jeder Tadel, jeder Spott, den der Kunstrichter mit dem kritisierten Buche in der Hand gut machen kann, ist dem Kunstrichter erlaubt.* LESSING. Qued autem veram deritæ pravitatis mensuram exceedere forte videtur, nequaquam excedit semper. Ut enim nemo in omnibus insanit, ita interveniunt saepe, in scriptore vel stultissimo, intervalla quædam lucida, stoliditatem totius plus minus feliciter obumbrantia. Illis (risui quippe non aptis) sublatis admotæ sibi proprius ineptiæ manifestius prodeunt, & consortio nusquam divulso, deliramentorum exhibent seriem nullo redeuntis melioris sensus vestigio interruptam. Deinde, quemadmodum in aliis, ita in proposita quoque imagine, magis quam in nobis met ipsi cernitur, si quid delictum aut turpe fuerit. Virum memini mediæ ætatis, nunquam, puto, formolum sed diu jam asotum & dissoluta vita indecorum, eoque magis etiam foedum, qui pingi se ab artifice aliquando volebat. Voti compos factus & tabellam egregie similem intuens, inhonestam, quam in speculo nondum æque viderat, mox animadvertisit deformitatem, dolenter exclamans: *an vero adeo sum fædus?* nec patam ingrati laboris mercadem pictori solvens,

Non sunt, quas haec tenus commemoravimus vernacula lingua scriptas parodias, GUSTAVI III:ii imperio antiquiores. Neque vero defunt aliae priores tempore. Primus, quantum novimus, tales habet III. VON DALIN (h), verum & numero paucas & pretio exiles. Festivior est, nec acriori carens sale, in Eumdem relatio criminum, quae in uxorem suam (sic enim Poësin appellarat) Ipse jecerat (i), Tropadiana, typis nondum, quod scianus, excusa. Pertinent huc etiam HELSINGII aliorumque in HAQUINUM BAGER, suo modo immortalem, ludentes versuum imitationes. Serii vero consilii Parodias, domesticas quidem, invenire non licuit. De petulantibus istis, extero plerisque solo natis & summorum quoque ingeniorum scripta laceffentibus, quidquid dictum jam fuit, fateri tamen convenit, esse & aliquam istius generis laudem: partim quod delectationem afferat repugnantium rerum verborumve artificiose efficta harmonia, partim si, quod & jure postulatur & egregie est a BLUMAUERO præstitum, nativum omnia sapient, felix, über, celere & ad omnes rerum facies versatile ingenium, nihilque appareat laboriose quæsiti, otiosi, frigidi, langventis.

h) Vitterhets- Arbeten, 4:de Bandet p. 109, 248, 250, sqq.  
288. 5:te Bandet p. 279.

i) Vitterhets- Arbeten, 5:te Bandet p. 276. sqq.